ALEXANDRI POLITI DE CLERICIS REGULARIBUS SCHOLARUM PIARUM EPISTOLA...

Alessandro Politi

Digitized by Google

Digitized by Google

/ 20

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ALEXANDRI POLITI
DE CLERICIS REGULARIBUS
SCHOLARUM PIARUM
EPISTOLA
AD CAJETANUM
MONILIAM
VIRUM CLARISSIMUM.

FLORENTIÆ. MDCCXXXIX.
Typis Petri Cajetani Viviani ſub Signo Divi Thomæ Aquinatis, propè Eccleſiam Sanctæ Mariæ in Campo.

SUPERIORUM PERMISSU.

1872
1057
20
D-72.
Digitized by Google

1557 · 20

Digitized by Google

ALEXANDER POLITUS
CAJETANO MONILIÆ
VIRO CLARISSIMO
S. P. D.

INterea dum expectas a me, Vir Clariſſime, Euſtathium meum in Dionyſium τὸν Περιηγητὴν, quem ego Euſtathium, ope in primis codicis tui, plurimis in locis, nitori ſuo atque integritati reſtitui, quum apud te eſſem nudiuſtertius, & de rebus noſtris, hoc eſt, ad eruditionem, & ſacram profanamque antiquitatem ſpectantibus, familiariter, ut ſolemus, inter nos colloqueremur, forte fortunâ in ſermonem incidimus de verbis quibuſdam Euſtathii ad verſus illos Dionyſianos de Carthagine:

Τοῖς δ' ἔπι Καρχηδὼν πολυήρατον ἀμπέχει ὅρμον,
Καρχηδὼν, Λιβύων μὲν, ἀτὰρ πρότερον Φοινίκων,
Καρχηδὼν, ἣν μῦθος ὑπαὶ βοὸς μετρηθῆναι.
Poſtea Carthago, ſtatio exoptata carinis,
Carthago, urbs Libyum, Tyriis fundata colonis,
Carthago, ut memorant, tergo dimenſa bovino.

Verba ibi hæc erant Euſtathii: Ἱςόρηται δὲ καὶ, ὅτι Ταρσεῖς ἡ θεία

A 2 κα-

γραφὴ, οὐ τὴν Ταρσὸν, κατά τινας, ἀλλὰ τὴν Καρχηδόνα ταύτην καλεῖ, προκαθημένην τῆς Ἀφρικῆς. *Proditum quoque eſt, Tarſis divinis in libris, non Tarſum vocari, ſed hanc ipſam Carthaginem, quæ Africæ præſideret*. Quæ quum verba, ſumpto in manus libello, ſemel atque iterum legiſſes, petiiſti a me, & rogaſti, ut, ſiquid mihi ad ejus loci explicationem, atque illuſtrationem ſuccurreret, id tibi per litteras ſignificarem. Ego quidem certè, Cajetane, maluiſſem tibi commentarium totum meum, publici juris factum, mittere, ſi per eos, quorum maximè intererat ſtudia hæc mea omni ope ſuſtentare, ac promovere, licuiſſet. Nunc, quando res meæ in ſummis undique anguſtiis verſantur, &, niſi tandem mihi liberalior aliqua benigniorque fortuna adſpiret, labores omnes mei, quicunque illi demum fuerint, ſunt facilè perituri; veluti ſpeciminis cuiusdam loco, habe tibi, Vir Clariſſime, quantum modus quidem epiſtolæ patitur, quod in eum Euſtathii locum animadvertendum mihi atque obſervandum videbatur. Alii legunt Θαρσεῖς, cum adſpiratione. Suidas ex Theodoreto: Θαρσεῖς Καρχηδόνα, τὴν τῆς Λιβύης προκαθημένην, Ἡσαΐας, καὶ Ἐζεχιὴλ ὀνομάζουσιν. Euſebius in Onomaſtico: Θαρσεῖς, ὅθεν ἤρχετο τῷ Σολομῶντι χρυσός. κατὰ μὲν τὸν Ἰώσηππον, Ταρσός ἐστιν ἡ τῆς Κιλικίας· κατὰ δὲ τὸν Ἰεζεχιὴλ, Καρχηδών. ἀντὶ γὰρ παρὰ τοῖς ὁ κειμένης Καρχηδόνος, τὸ ἑβραϊκὸν ἔχει Ταρσός· ἄλλοι δὲ τὴν Ἰνδίαν ὑπετύπωσαν. Sed ex Hebræis legendum eſt, Θαρσίς. Atque ita etiam interpretes ſeptuaginta lib. 3. Regnorum cap. 10. Ναῦς Θαρσὶς τῷ βασιλεῖ Σαλωμὼν ἐν τῇ θαλάσσῃ μετὰ τῶν νηῶν Χιράμ. μία διὰ τριῶν ἐτῶν ἤρχετο τῷ βασιλεῖ ναῦς ἐκ Θαρσὶς χρυσίου, καὶ ἀργυρίου. Retinuitque hanc ibi ſcripturam interpres vulgatus Latinus, itemque Syriacus. Paralipom. l. 2. cap. 9. ναῦς τῷ βασιλεῖ ἐπορεύετο εἰς Θαρσεῖς μετὰ τῶν παίδων Χιράμ. ἅπαξ διὰ τριῶν ἐτῶν ἤρχετο πλοῖα ἐκ Θαρσεῖς τῷ βασιλεῖ, γέμοντα χρυσίου, καὶ ἀργυρίου. Scribo hìc utrobique Θαρσίς. ut & cap. 20. ejuſdem libri, ubi pariter vulgatum eſt Θαρσεῖς. Pſalmo 71. Βασιλεῖς Θαρσὶς, καὶ αἱ νῆσοι δῶρα προσοίσουσιν. Interpres vulgatus Latinus, *Reges Tharſis*. Et ſic etiam Syriacus, atque Æthiopicus, & Arabicus. Pſalmo 47. συντρίψεις πλοῖα Θαρσίς. Sic ibi legendum ὀξυτόνως. Vulgò Θάρσις, minùs emendatè. Qui Θαρσὶς illud divinorum librorum, Tharſum, ſeu Tarſum, Ciliciæ urbem accipiebant, videntur ii mihi ἀπὸ Θαρσοῦ feciſſe Θαρσεῖς, quod eſt ἐθνικόν· itaque vocem illam Hebraicam apud ſeptuaginta interpretes depravaſſe. Ioſephus Antiquit. Iudaic. lib. 1. cap. 6. Θαρσὸς δὲ (ἐκάλεσε) Θαρσεῖς. οὕτως γὰρ ἐκαλεῖτο τὸ παλαιὸν ἡ Κιλικία. Σημεῖον δέ. Ταρσὸς γὰρ παρ' αὐτοῖς τῶν πόλεων ἡ ἀξιολογωτάτη καλεῖται, μητρόπολις οὖσα· τὸ τ' πρὸς τὴν πλῆσιν ἀντὶ τοῦ θ' μεταβαλλόντων. Stephanus u. Ταρσός· Θαρσὸς δὲ ἐκαλεῖτο, καὶ Θαρσεῖς οἱ Κίλικες, ὡς Ἰώσηπος ἐν ἀρχαιολογίᾳ.

Digitized by Google

γίᾳ. Zonaras lib. 1. Καὶ Θαρσεὺς τῶν Θαρσέων ἐγένετο πρόγονος· τὸ γὰρ πάλαι Θαρσεῖς ἐκαλοῦντο οἱ Κίλικες. Ὅθεν καὶ ἡ τῶν παρ' αὐτοῖς πόλεων ἀξιολογωτέρα Ταρσὸς καλεῖται, τοῦ θ' μεταβληθέντος εἰς τ'. Οὕτως τῷ Ἰωσήπῳ γέγραπται περὶ τῆς Ταρσοῦ. Unde & *Tarſicum mare*, Ταρσικὴν θάλατταν, vocat Ioſephus lib. 8. cap. 7. quo mari magna ad Salomonem vis auri atque argenti advehebatur. Ioſephi autem potiſſimùm auctoritate nituntur, qui Θαρσὶς illud Hebræorum de Tarſo Ciliciæ urbe interpretantur. Quibus etiam, ſi deo placet, favere viſus eſt Beatus Hieronymus in interpretatione ſuâ libri Iudith cap. 2. ubi ſermo haberi videtur de Cilicibus: *Effregit autem civitatem opinantiſſimam Melothi, prædavitque omnes filios Tharſis, & filios Iſmaël, qui erant contra faciem deſerti*. præſertim quum idem ipſe Hieronymus Quæſtionibus Hebraicis in Geneſim, ad illud: *Eliſa, & Tharſis*; opinionem referat Ioſephi, *Tharſis* Cilicas arbitrantis, quorum urbs, mutatâ poſtea litterâ adſpirationis θ' in τ', Tarſus ſit appellata. Sed non ſatis alibi videtur Hieronymus in explicatione hac Ioſephi de Tharſis conquieſcere: ut neque in eâ conquieſcit Euſebius. Hieronymus de Locis Hebraicis ex Euſebio: *Tharſis, unde aurum afferebatur Salomoni. Hanc putat Ioſephus Tarſum urbem eſſe Ciliciæ. Porrò, iuxta Ezechielem prophetam, Carthago ſentitur*. Hieronymus ipſe in cap. 2. Eſaiæ: *Ioſephus Tharſis urbem Ciliciæ Tharſum arbitratur, alii regionem putant Indiæ, & hoc nomine etiam de duodecim gemmis lapidem appellari, qui apud nos vocatur chryſolithus, ob marini coloris ſimilitudinem. Melius autem eſt, Tharſis, vel mare, vel pelagus abſolutè accipere. Neque enim Jonas de Joppe navigans, ad Indiam poterat pervenire, ad quam illo mari non poteſt navigari; ſed ſimpliciter ire in pelagus, & ad quaſcumque inſulas pergere*. Et in Epiſtolâ ad Marcellam: *Quæris, ſi Tharſis lapis chryſolithus ſit, aut hyacinthus, ut diverſi interpretes volunt, ad cuius coloris ſimilitudinem dei ſpecies ſcribatur; quare Jonas propheta Tharſis ire velle dicatur, & Salomon, & Joſaphat in Regnorum libris naves habuerint, quæ de Tharſis ſolitæ ſint exercere commercia? ad quod facilis eſt reſponſio, homonymum eſſe vocabulum, quòd & Indiæ regio ita appelletur, & ipſum mare, quia cæruleum ſit, & ſæpe ſolis radiis percuſſum, colorem ſupradictorum lapidum trahat, & a colore nomen acceperit: licet Ioſephus, τ' pro θ' litterâ mutatâ, Græcos putet Tarſum appellare pro Tharſis*. Non igitur videri poteſt B. Hieronymus, cum in libro Judith interpretando, *filios Tharſis* nominat, vocabulo ipſo *Tharſis* urbem Tarſum exprimere voluiſſe. Neque verò codex Græcus legit υἱοὺς Θαρσὶς, ſed υἱοὺς Ῥασσίς. idque fortaſſe nominis legebatur in exemplari Chaldaico, qua linguâ teſtatur Hieronymus librum Judith conſcriptum fuiſſe; idque ipſum mutavit fortaſſe Hieronymus in *Tharſis*. Nam ipſe quidem Præfatione in Judith ingenuè fatetur, ſeſe magis ſenſum e ſen-

ſu, quàm ex verbo verbum, tranſtuliſſe. Τῷ Ῥασσὶς intelligi volunt regionem Syriæ. Θαρσὶς porrò ſeptuaginta interpretibus eſt Carthago. Sed non bene ſic loquitur Euſebius: *κατὰ δὲ τὸν Ἰεζεκιὴλ, Καρχηδών*. Dicere prorſus debebat: *κατὰ δὲ τοὺς ἑβδομήκοντα παρὰ τῷ Ἰεζεκιὴλ, Καρχηδών*. Neque enim ſecundùm Ezechielem, ſeu ex verbis ipſis Ezechielis, Tharſis, Carthago; ſed, ſecundùm ſeptuaginta interpretes, hoc eſt, ex horum interpretatione, Tharſis apud Ezechielem eſt Carthago. De mente Ezechielis eſt diſputatio, utrum Tharſis, Tarſum urbem Ciliciæ, an verò Carthaginem, intellexerit: neque diſſenſio eſt inter Joſephum & Ezechielem, quod vel impium eſt cogitatu, quaſi ſcilicet fas ſit ab Ezechiele, tanquam ab uno aliquo opinatore, diſſentire; ſed tota eſt diſſenſio inter Ioſephum, atque interpretes illos ſeptuaginta. Sequitur apud Euſebium: *ἀντὶ γὰρ παρὰ τοῖς ὁ κειμένης Καρχηδόνος, τὸ ἑβραϊκὸν ἔχει Ταρσός*. Legendum hìc eſt Θαρσὶς, quod habet codex Hebraicus. Interpretes ſeptuaginta Ezechielis cap. 27. *Καρχηδόνιοι ἔμποροί σου ἀπὸ πλήθους πάσης ἰσχύος σου, ἀργύριον καὶ χρυσίον καὶ σίδηρον, καὶ κασσίτερον, καὶ μόλιβδον ἔδωκαν τὴν ἀγοράν σου*. Idque ſecutus eſt interpres Latinus vulgatus: *Carthaginienſes negotiatores tui, a multitudine cunctarum divitiarum, argento, ferro, ſtanno, plumboque repleverunt nundinas tuas*. Interpres Arabicus *Carchidonienſes mercatores*. Aquila, Symmachus, Theodotion, ex codice Hebraico, Θαρσίς. ut & translatio Syriaca. Ionathan generaliori vocis acceptione explicat *mare*. Itemque cap. 38. *Σαββὰ καὶ Δαιδὰν, καὶ ἔμποροι Καρχηδόνιοι*. quam lectionem ſecuti ſunt Arabes. Theodoretus cum Hebræis, *ἔμποροι* Θαρσίς. Et ſic etiam interpres Latinus, & Syriacus. Ionathan *negotiatores maris*. Varia hæc interpretamenta complexus ſimul Hieronymus: *negotiatores Tharſis, Carthaginis, ſive maris*. Sic & iidem ſeptuaginta Eſaiæ cap. 23. Ὀλολύξατε, *πλοῖα* Καρχηδόνος. &, *ἀπέλθατε εἰς* Καρχηδόνα. &, *πλοῖα οὐκέτι ἔρχεται ἐκ* Καρχηδόνος. & rurſus: Ὀλολύξατε, *πλοῖα* Καρχηδόνος. Et faciunt cum ſeptuaginta interpretibus Arabes. Ubique autem hìc locorum Hebræi Θαρσίς. quod ſervarunt Græci interpretes, Aquila, Symmachus, Theodotion, itemque Syrus. Ubi tamen interpres Latinus reddit *mare*. ſicuti etiam Ionathan. Atque ille quidem rectè. Sed ita tamen, ut rectè etiam interpres idem Hieronymus obſervet, poſſe nos ibi Tharſis, Carthaginem intelligere. Hieronymus in Eſaiam: *Ululate, inquit, naves maris, pro quo in ſeptuaginta legimus* Καρχηδόνος. *ideſt, Carthaginis. Poſſumus autem*, inquit Hieronymus, *quia Carthago Tyriorum colonia eſt, in præſenti loco Tharſis non mare generaliter, ſed & Carthaginem, accipere*. Ex quibus patet, non ubique locorum in divinis libris explicari poſſe Θαρσὶς de Carthagine; ſed pro loco & tempore; atque adeo rectè Hieronymum monuiſſe, id omnino vocabuli eſſe *ὁμώνυμον*.

Eſt

Non est impium cogitatu, quum liceat Josephum in pluribus a divinis scriptoribus dissentire.

Eſt enim, ubi lapidem denotet, ut cap. 1. Ezechielis: Καὶ τὸ εἶδος τῶν τροχῶν, ὡς εἶδος Θαρσεΐς. Scholiaſta: τὸ Θαρσεὶς χρυσόλιθόν φησιν, ἢ ὑάκινθον. Malim Θαρσίς. Aquila: ὡς ὀφθαλμὸς χρυσολίθου. Symmachus: ὡς ὅρασις τοῦ ὑακίνθου. Ubi tamen S. Hieronymus: *Quaſi viſio maris. Quaſi viſio Tharſis*, inquit, *quam nos in mare vertimus. Aquila hyacinthum poſuit.* Immo verò Aquila chryſolithum. *Tharſis* ſcribit etiam Ezechiel cap. 10. ubi ſeptuaginta interpretes: ὡς ὄψις λίθου ἄνθρακος: *quaſi adſpectus lapidis carbunculi.* Lapidem hunc carbunculum vocant etiam Arabes. At enim interpres Latinus, *quaſi viſio lapidis chryſolithi*. quem ibi etiam lapidem dicit Aquila. Hieronymus: *Obſerva, quæ priùs fuerit, vel quotuplex ſpecies rotarum, iuxta ſeptuaginta, quaſi viſio Tharſis; nunc autem iuxta eoſdem*, ὡς ὄψις λίθου ἄνθρακος. *ideſt, quaſi viſio carbunculi: ut pennarum per ignem, qui a Cherub traditur, ſimilitudo monſtretur: licet in Hebraico & ſupra & hic Tharſis ſcriptum ſit, quod Aquila chryſolitum, Symmachus hyacinthum, tranſtulerunt*. Et in epiſtolà ad Marcellam, de commentariis Rheticii Auguſtodunenſis Epiſcopi: *Habuerat utique & in Ezechiele id ipſum verbum* (Tharſis) *ubi de quatuor animalibus ſcribitur: Et ſpecies rotarum, ſicut ſpecies Tharſis. Et in Daniele de Domino: Et corpus ejuſdem, ut Tharſis. quod Aquila chryſolithum, Symmachus hyacinthum interpretantur. Et in Pſalmo: in ſpiritu violento conteres naves Tharſis. Et inter lapides, qui in ornatu Sacerdotis tribuum nominibus ſculpti ſunt, ejuſdem lapidis nomen inſeritur; & omnis ferè ſcriptura hoc vocabulo referta eſt*. Eſt etiam, ubi τὸ Θαρσὶς ſignificet mare, quæ eſt generalior huius vocis apud Hebræos acceptio. ut Eſaiæ cap. 1. *& ſuper omnes naves Tharſis*. Interpretes ſeptuaginta: καὶ ἐπὶ πᾶν πλοῖον θαλάσσης. Hexapla Origenis: Οἱ λοιποὶ (πάντα πλοῖα) Θαρσίς. Ο. πᾶν πλοῖον θαλάσσης. Hieronymus: *Pro Tharſis, quod omnes ſimiliter tranſtulerunt, ſoli LXX. mare interpretati ſunt*. Ait autem Hieronymus, ita Hebræos putare linguâ ſuâ mare appellari. Et Eſaiæ cap. 23. *Tranſi terram tuam, quaſi flumen, filia maris*. Τὸ *maris*, Hebraicè eſt ibi *Tharſis*. Filia maris, Tyrus. Aliò hìc abeunt interpretes ſeptuaginta. Quòd ſi cum Hebræis legas, *ad filiam Tharſis*; tunc ſanè filiam hanc Tharſis, Carthaginem intellige, Tyriorum coloniam: de qua poſtea. Eſt et ubi τὸ Θαρσὶς Indiam deſignet, quò naves per ſinum Arabicum ex Aſiongaber proficiſcebantur. ut Regnorum lib 3. cap. 10. & Paralip. lib. 2. cap. 9. & c. 20. Translatio Arabica Regnorum: *Quia rex naves habebat in mari cum claſſe Hirami, ſemel ternis quibuſque annis accedebant naves ex Indiâ*. Suidas: Θαρσὶς (ſic enim ſcribo, non Θαρσεῖς) χώρα τῆς Ἰνδικῆς, ὅθεν ἤρχετο τῷ Σολομῶντι τὸ χρυσίον. Hieronymus in Eſaiam: *Habuit & Ioſaphat naves, quas mittebat in Tharſis: ſed contritæ ſunt in Aſiongaber. Habuit & Salomon, quæ ibant in Tharſis,*

& poſt

& poſt tres annos revertebantur, afferebantque regi argentum & aurum, ebur & ſimias. Tharſis Ioſephum regionem Indiæ eſſe voluiſſe, quod affirmat ad Hieremiam Hieronymus, μνημονικὸν Hieronymi ἁμάρτημα mihi olim viſum fuerat, eo quia Tharſis Ioſephus eandem arbitratus eſt atque Tarſum, urbem Ciliciæ. Sic enim Hieronymus ad Hieremiam: *Tharſis vel regio Indiæ eſt, ut vult Ioſephus, vel certè omne pelagus Tharſis appellatur*. Quaſi ſcilicet oblitus eſſet Hieronymus, quod de Ioſepho ſcripſerat, tum alibi, tum in Ionam: *Fugere* (Ionas) *voluit in Tharſis, quam Ioſephus interpretatur Tharſum Ciliciæ civitatem, primâ tantùm litterâ commutatâ: quantùm verò in Paralipomenon libris intelligi datur, quidam locus Indiæ ſic vocatur*. Et in Eſaiam: *Joſephus Tharſis urbem Ciliciæ Tharſum arbitratur, alii regionem putant Indiæ*. Verumtamen, ut de Tharſis alibi aliter ſenſerit Ioſephus; tamen Tharſis, quò claſſis Salomonis, ex Aſiongaber profecta, ternis quibuſque inde annis, magnâ auri & argenti, eboriſque ac ſimiarum, & pavonum copiâ, revertebatur, ipſum etiam Ioſephum Indiam eſſe exiſtimaſſe, luculentè oſtendit hæc eius de claſse illâ Salomonis narratio, lib. 8. cap. 6. Ἐναυπηγήσατο δὲ ὁ βασιλεὺς ἐν τῷ Αἰγυπτιακῷ κόλπῳ σκάφη πολλὰ, τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης ἔν τινι τόπῳ λεγομένῳ Ἀσιωγγάβαρος. αὕτη γὰρ Βερενίκη καλεῖται, οὐ πόῤῥω Αἰλανῆς πόλεως· ἡ χώρα τὸ πρὶν Ἰυδαίων ἦν. ἔτυχε δὲ καὶ τῆς ἁρμοζύσης εἰς τὰς ναῦς δωρεᾶς παρὰ Εἰρώμυ τῦ Τυρίων βασιλέως ἄνδρας γὰρ αὐτῷ κυβερνήτας, καὶ τῶν θαλασσίων ἐπιςήμονας ἔπεμψεν ἱκανὺς, οἷς ἐκέλευσε πλεύσαντες μετὰ καὶ τῶν ἰδίων οἰκονόμων εἰς τὴν πάλαι μὲν Σωφίραν, νῦν δὲ Χρυσῆν γῆν καλυμένην, τῆς Ἰνδικῆς ἐςιν αὕτη, χρυσὸν αὐτῷ κομίσαι. Quare & Indicum illud mare, tanquam a Θαρσὶς, vocat poſtea Ioſephus Ταρσικὸν, mutatâ nempè litterâ adſpirationis θ′ in τ′, perinde atque de Tarſo urbe Ciliciæ, hac litterarum mutatione dictam eam eſſe, docet alibi Ioſephus. Verba hæc Ioſephi de mari Tarſico, ſeu Indico: Πολλαὶ γὰρ ἦσαν ναῦς, ἃς ὁ βασιλεὺς ἐν τῇ Ταρσικῇ λεγομένῃ θαλάττῃ καταςήσας, ἀπάγειν εἰς τὰ ἐνδοτέρω τῶν ἐθνῶν παντοίαν ἐμπορίαν προσέταξεν· ὧν ἐξεμπολυμένων, ἄργυρος καὶ χρυσὸς ἐκομίζετο τῷ βασιλεῖ, καὶ πολὺς ἐλέφας, Αἰθίοπές τε καὶ πίθηκοι. τὸν δὲ πλοῦν ἀπιῦσαι τε, καὶ ἐπανερχόμεναι, τρισὶν ἔτεσιν ἤνυον. Quæ quidem verba nullo modo quadrare poſſunt in Tarſum Ciliciæ. Regionem illam Indicam Ioſephus vocatam olim ait Sophiram, poſtea Auream. Eſt autem hæc Ptolemæo Aurea regio Indiæ extra Gangem, ſupra Argenteam regionem, de qua ita Ptolemæus: Τῆς δὲ Ἀργυρᾶς χώρας, ἐν ᾗ πλεῖςα λέγεται εἶναι μέταλλα ἀργυρίου (ita codex, quem vidi olim Genuæ, vetuſtiſſimus) ἀσήμυ, ὑπέρκειται πλησιάζουσα τοῖς Βησυγγήταις ἡ Χρυσῆ χώρα, καὶ αὕτη πλεῖςα μέταλλα ἔχυσα χρυσίου. Vnde, tametſi libro primo Antiquitatum Ioſephus Tarſo, urbi

Ci-

Digitized by Google

Da ciò non verrebbe altro se non che Giuseppe avrebbe errato, e Ezechiele detto bene: perchè Eusebio non fa altro che riportare i due detti, ma non già che Ezechiele dicesse male.

Ciliciæ, nomen a Tharſo factum putaverit; tamen certò colligere eſt, iniuriâ Euſebium ridiculam illam opinionem Ioſepho affinxiſſe, ut Tharſis, unde allatum aurum Salomoni, ipſa eſſet Tharſus Ciliciæ, quam tamen opinionem amplexus videtur Arias Montanus, & nonnulli alii recentiorum. Nam de Ezechiele quidem prophetâ, horribile eſt dictu, divinorumque librorum auctoritati iniurium, id, quod ait Euſebius, Tharſis, unde aurum Salomoni, eſſe Ezechieli Carthaginem. Quaſi ſcilicet errare vates ille θεοδίδακτος καὶ θεόπνευστος potuerit. Solvebat enim claſſis Salomonis ex Aſiongaber ad ſinum Arabicum. Niſi ſiquis fortè velit, Salomonis claſſem, ſinu Arabico enavigato, totam ad meridiem, & occidentem Africam prætervectam fuiſſe, & per fretum Gaditanum in mare mediterraneum egreſſam, longiſſimo marium & terrarum circuitu, ad portum tandem Carthaginis appuliſſe, indeque eadem, qua venerat, viâ, auro, atque argento onuſtam, ad Aſiongaber portum in ſinum Arabicum rediiſſe. Quæ tamen longiſſima atque difficillima navigatio minimè opus erat Salomoni, quum multò breviori faciliorique navigatione claſſem ſuam Salomon e portu aliquo Palæſtinæ, puta, ex Ioppe, concedentibus facilè Ioppenſibus, per Ægyptiacum & Libycum mare, mittere Carthaginem potuiſſet. Præterquamquod ex Tyriorum monumentis, & Menandro Epheſio negat Ioſephus contra Apionem, quod tamen concedit Euſebius, & concedunt etiam alii, Salomonis temporibus conditam adhuc Carthaginem fuiſſe. Ἄλλοι δὲ, inquit Euſebius, τὴν Ἰνδίαν ὑπετύπωσαν. Quaſi ſcilicet non ita etiam ſenſerit Ioſephus. Sed tota hic graviter hallucinandi cauſſa non recentioribus modò viris doctiſſimis, ſed etiam veterum nonnullis, illa fuit, quòd, quæ diſcernenda maximè erant, in unum confuderint, nec, quod docet B. Hieronymus, uſurpari id vocabuli ὁμωνύμως, attenderint; ſed quæ uno eodemque Tharſis vocabulo notata in ſacris libris erant, unâ etiam eademque ſignificatione accipi ea omnia voluerint. Unde etiam diſſidere inter ſeſe eos exiſtimarunt, qui alibi locorum aliter Tharſis, pro rerum & locorum varietate, explicarent. Multiplici namque eſt, ut diximus, τὸ *Tharſis* ſignificatione. Eſt igitur, ubi & Tharſis Carthaginem denotet, ut, quemadmodum diximus ſupra, Ezechielis cap. 27. & c. 38. & Eſaiæ cap. 23. Fruſtra autem objicit Samuel Bochartus inopiam a metallis Africæ, & opulentiam Hiſpaniæ, inde ut demonſtret, Tharſis, de qua Eſaiæ atque Ezechieli mentio, non intelligendam eſſe Carthaginem, ſed Tarteſſum Hiſpanicam. Unde etiam colligit Bochartus, falli ſeptuaginta interpretes, adeoque quotquot veterum volunt, Tharſis eſſe Carthaginem. In his, qui ita volunt, eſt Beatus Hieronymus. Sed neque Hieronymus fallitur, neque falluntur interpretes ſeptuaginta; ſed ipſe fallitur Bochartus: qui minimè omnium cogitavit, quantum Carthaginienſibus divitiarum ex mercaturis faciendis accreverit, quantumque ii metallorum, ac præſertim argenti,

ve-

potuit hic esse sine Ezechielis errore

[illegible]

vetuſtioribus etiam illis, non Ezechielis modò, ſed Eſaiæ etiam, temporibus, ſibi ex Hiſpaniâ comparare potuerint. Nam Carthaginienſes quidem, Phoenicum coloniam, præcipuè reſpicit id, quod de Phoenicibus ſcribit Strabo, eos ante Homeri ætatem, quæ optima erant Hiſpaniæ atque Africæ, tenuiſſe, dominoſque eorum locorum uſque adeo fuiſſe, donec eorum ibi imperium Romani aboleverunt. Appianus de Phœnicibus, qui Carthaginem urbem ædificaverant: *καὶ δυναστεύοντες ἤδη, Λιβύης ἐκράτων, καὶ πολλῆς θαλάσσης· ἐκδήμους τε πολέμους ἐστράτευον ἐς Σικελίαν, καὶ Σαρδὼ, καὶ νήσους ἄλλας, ὅσαι τῆσδε τῆς θαλάσσης εἰσὶ, καὶ ἐς Ἰβηρίαν· πολλαχῆ δὲ καὶ ἀποικίας ἐξέπεμπον. ὥτε ἀρχὴ αὐτοῖς ἐγένετο, δυνάμει μὲν ἀξιόμαχος τῇ Ἑλληνικῇ, περιουσίᾳ δὲ μετὰ τὴν Περσικήν· ἑπτακοσίοις δ᾽ αὐτοὺς ἔτεσιν ἀπὸ τοῦ συνοικισμοῦ Ῥωμαῖοι Σικελίαν ἀφείλοντο, καὶ Σαρδὼ μετὰ Σικελίαν· δευτέρῳ δὲ πολέμῳ καὶ Ἰβηρίαν.* Conſtat Tyrios colonias maximè omnium memorabiles in Africam atque Hiſpaniam deduxiſſe. Plinius lib. 5. cap. 19. de Tyro: *olim partu clara, urbibus genitis, Lepti, Uticâ, & illâ Romani Imperii æmulâ, terrarum orbis avidâ, Carthagine: etiam Gadibus extra orbem conditis.* Vellejus: *Tyria claſſis, plurimùm pollens mari, in ultimo Hiſpaniæ tractu, in extremo noſtri orbis termino, inſulam circumfuſam oceano, perexiguo a continenti diviſam freto, Gades condidit. ab iiſdem poſt paucos annos in Africâ Vtica condita eſt.* Et de Phœnicibus generatim ſcribit Strabo, eos ultra columnas etiam Herculis progreſſos fuiſſe, ibique & in mediâ Africæ orâ maritimâ paullò poſt tempora Troiana urbes ædificaſſe. Sed reliquas illas Phoenicum in Africâ atque Hiſpaniâ colonias Carthago poſtea in ditionem ſuam redegit; nec, niſi Carthaginienſium, illis in locis imperium deleverunt Romani. ut hinc fortaſſe videri poſſit Strabo conditam antea Carthaginem, quàm Homerus naſceretur, ſtatuiſſe. quod & alii apud Euſebium exiſtimarunt. Idque nunc obiter dictum ſit. Satis enim nobis eſt, multò ante Ezechielis, immo verò & Eſaiæ vaticinia, deductam a Tyriis coloniam Carthaginem fuiſſe, & Carthaginienſes, quibus in illis initiis parum territorii erat, metallorum ex vicinis Hiſpaniis mercaturâ opes ac vires ſuas augere potuiſſe. Conditam Ioſephus ſcribit Carthaginem, Pygmalione Tyri rege, anno regni eius ſeptimo, qui eſt annus periodi Iulianæ MMMDCCCXXVIII. & centeſimus ac decimus ferè quartus, antequam Eſaias vaticinaretur. quod fecit Eſaias Olympiade ſecundâ, Azariâ Iudæorum rege: quo quidem rege teſtatur Euſebius Phœnices mare obtinuiſſe. Unde etiam intelligas, quò poſtea divitiarum atque imperii adſpirare Carthaginienſes potuerint, Ezechielis temporibus: quem aiunt, annis poſt Eſaiam centum, ac ſex ferè & ſeptuaginta, ſecundo anno Olympiadis ſextæ atque quadrageſimæ, qui eſt annus Iulianus MMMMCXIX. effundere Babylone vaticinationes ſuas cœpiſſe. Quare ad ſuperiora etiam

tiam

Digitized by Google

tiam hæc Carthaginienſium tempora pertinent illa Diodori Siculi lib. 5. *Πολλῶν δὲ ὄντων περὶ τὰς εἰρημένας μεταλλείας παραδόξων, οὐχ ἥκιςʼ ἄν τις θαυμάσειε, διότι τῶν μεταλλουργείων οὐδὲν πρόσφατον ἔχει τὴν ἀρχὴν, πάντα δὲ ὑπὸ τῆς Καρχηδονίων φιλαργυρίας ἀνεῴχθη, καθʼ ὃν καιρὸν τῆς Ἰβηρίας ἐπεκράτουν. ἐκ τούτων γὰρ ἔσχον τὴν ἐπὶ πλεῖον αὔξησιν, μισθούμενοι τοὺς κρατίςους ςρατιώτας, καὶ διὰ τούτων πολλοὺς καὶ μεγάλους πολέμους διαπολεμήσαντες. καθόλου γὰρ ἀεὶ Καρχηδόνιοι διεπολέμουν, οὔτε πολιτικοῖς ςρατιώταις, οὔτε τοῖς ἀπὸ τῶν συμμάχων ἀθροιζομένοις πεποιθότες· ἀλλὰ καὶ Ῥωμαίους, καὶ Σικελιώτας, καὶ τοὺς κατὰ τὴν Λιβύην οἰκοῦντας, εἰς τοὺς μεγίςους ἦγον κινδύνους, καταπλουτομαχοῦντες ἅπαντας διὰ τὴν ἐκ τῶν μετάλλων γινομένην εὐπορίαν*. Plura ibi de metallis argenteis, aureis, æreis, ſtanneis, Hiſpaniæ, Diodorus. Quantum inde virium ac potentiæ Carthaginienſibus acceſſerit, illud eſt argumento, quòd eos Xerxes ad belli contra Græcos ſocietatem invitaverit, ipſique, magnâ vi pecuniarum collectâ, ſtipendiarios ſibi milites ex variis regionibus conduxerint, & exercitum ad trecenta hominum millia, & naves ducentas coëgerint. Auctor Diodorus. Erat autem plurima Carthaginienſibus Tyri, unde oriundi erant, Hiſpanicorum horum metallorum negotiatio, quæ eò ad nundinas totâ Aſiâ celebratiſſimas iidem ipſi importabant. Quippe erat Tyrus commune veluti totius terrarum orbis emporium, quò ex omnibus propemodum gentibus mercatores, cum ſuis quique cuiuſcumque generis mercibus, commeabant. Et varia mercium genera, & variarum gentium mercatores recenſet accuratè atque exponit Ezechiel cap. 27. quibus in mercatoribus meminit etiam, ſecundùm interpretes quidem ſeptuaginta, Carthaginienſium. *Carthaginienſes*, inquit, *negotiatores tui, a multitudine cunctarum divitiarum, argento, ferro, ſtanno, plumboque, repleverunt nundinas tuas. Græcia, Thubal, & Moſoch, ipſi inſtitores tui: mancipia, & vaſa ærea adduxerunt ad forum tuum. Filii Dedan, negotiatores tui: inſulæ multæ, negotiatio manus tuæ: dentes eburneos, & hebeninos commutaverunt in pretio tuo. Syrus negotiator tuus, propter multitudinem operum tuorum, gemmam, & purpuram, & ſcutulata, & byßum & ſericum, & chodchod propoſuerunt in mercatu tuo. Iuda, terra Iſraël ipſi inſtitores tui in frumento primo, balſamum & mel & oleum, & reſinam propoſuerant in nundinis tuis*. Ex quibus patet, nihil ad rem facere, quod urget Bochartus de magnâ argenti aliorumque etiam metallorum copiâ apud Gades, & Tarteſſum Hiſpanicam, quò Phœnices, argenti aliorumque metallorum auferendorum cauſsâ, navigare inſtituerant: eo quia non dicit ibi Ezechiel, quod dicere eum putat Bochartus, Tyrios ipſos aliò, puta, Tharſis, mercandorum metallorum cauſsâ, navigaſse; ſed mercatores aliunde, hoc eſt, ex aliis atque aliis regionibus, merces ſuas Tyrum ad nundinas, quæ ibi inſtitutæ erant, convexiſse. Tarteſſios autem unquam

quam

Digitized by Google

quam Tyrum, metallorum ſuorum mutandorum cauſsâ, ſeſe contuliſſe, nemo quiſquam veterum teſtatur. At verò Carthaginienſes notum eſt aliò atque aliò vel longiores navigationes, mercaturæ cauſsâ, ſuſcepiſse, adeò ut mercaturas, Plinio teſte, Pœni inveniſse crederentur. Id quum benè perſpectum exploratumque eſset interpretibus ſeptuaginta, rectè iidem viderunt, quos de mercatoribus narrat Ezechiel argentum, ſtannum, plumbum, ferrum, e Tharſis Tyrum importare conſuevisſe, ipſos eſse Carthaginienſes, quibus Tarteſsus aliaque Hiſpaniæ loca id omne metallorum genus ſuppeditabant. Erant enim hæc loca in poteſtate Carthaginienſium; eorumque ea erant metalla, pariter atque poſtea fuerunt Romanorum. Itaque, quos Tharſis Ezechiel vocat, interpretes ſeptuaginta verè proprièque nominant Καρχηδονίους, ſeu Carthaginienſes. Atque hos ſanè, pariter atque ceteros aliarum gentium mercatores, Tyro emporio uſos fuiſse, indicant verba illa Ezechielis: *repleverunt nundinas tuas*. quod eſt apud ſeptuaginta, ἔδωκαν τὴν ἀγοράν σου. Paraphraſis Chaldaica: *quæ poſuerunt in domo theſaurorum tuorum*. Ergo τὸ *Tharſis* loco hoc Ezechielis, non Tarteſsum, ſed Carthaginem, ſignificat: ut & cap. 38. *negotiatores Tharſis*, iidem ſunt atque Carthaginienſes. Quo etiam loci perquam mihi mirabilis Bochartus, quòd, nullo prorſus auctore, doceat, Tarteſſum Hiſpanicam conditam fuiſse a Tharſis, Iavan filio, de quo mentio Geneſ. cap. 10. Sed Bocharto multò mehercule mirabilior Natalis ille Alexander, qui etiam cenſuit, Tharſis, alterum Iavan filium, originem Carthaginienſibus dediſſe. Quod idem ipſe, ſi Deo placet, affirmat interpretibus ſeptuaginta, & vulgato interpreti ad Ezechielem, & Hieronymo, & Theodoreto viſum fuiſſe. Indeque ait Natalis, Tharſis, filium illum Iavan, coloniam fortaſſe in Hiſpanias deduxiſſe. Profecto in errores huiuſcemodi incidunt, qui aliena ſæpe in ſcribendo ſcrinia compilant, non ipſi per ſeſe interiùs in hiſtorias, ſeu ſacras, ſeu profanas, ingrediuntur. Similitudo etiam illa nominis inter Tharſis, & Tarſum, urbem Ciliciæ, fecit, ut Ioſephus Tarſo Ciliciæ inditum nomen a Tharſis, Iavan filio, exiſtimaret. Sed fortaſſe nuſquam eſt divinorum librorum, ubi τὸ *Tharſis* planè certòque Ciliciæ urbem Tarſum ſignificet. De loco enim libri Judith paullò nos ante diſſeruimus. Hæc erant, quæ ego in illum Euſtathii locum ad Dionyſium paullò diligentiùs commentabar: quæ ſi tibi, Caietane Monilia, probabuntur, & poſtulationi tuæ, & officiis erga te meis feciſſe me ſatis putavero. Vale, Vir Clariſſime, & me, quod facis, ama. Ex Muſeo meo, IV. Idus Septem. MDCCXXXIX.

1057.20
z
99 95 8366

Digitized by Google

1057, 20

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google